





PARADOXON MEDICUM

QVOD

SIT IN MARTE QVICQVID
QVÆRUNT MEDENTES,

AUXILIANTE NUMINE DIVINO,

AMPLISSIMO MEDICORUM ORDINE

IN HAC PERANTIQVA HIERANA GRATIOSE
INDULGENTE,

SPECIMINIS INAUGURALIS LOCO,

SUB PRÆSIDIO

DN. D. JOHANNIS ANDREÆ
FISCHERI,

FACULTATIS MED. ASSESS. PRIMARIJ, PATHOLOG. ET PRAXEOS
PROFESS. PUBL. ORDINAR. NEC NON MEDICI PROVINCIALIS
DUCAL. ISENACENS.

PATRONI ET PROMOTORIS SUI COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTO-
RALIA LEGITIME ADIPISCENDI,

PUBLICÆ ERUDITORUM VENTILATIONI PROPOSITUM,

A

RESPONDENTE

HENRICO CHRISTOPHORO SEYFFERDO,
ARNSTAD. THUR.

DIE XVI. MARTII ANNO MDCCXVIII.

In Auditorio Majori Colleg. Maj.

HORIS CONSUVETIS,

ERFORDIÆ, Typis JOH. HENRICI GROSCHII, Acad. Typogr.

EX LIBRIS

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

MAG. DR. H. W. ...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...





PRÆMONENDA.



Ivimus in seculo isto, quò
 vis & ferrum dominatur, &
 morbi superioribus ævis
 tantum non incogniti hor-
 rendum sæviunt, & medica-
 mentis utcunque exquisi-
 tissimis audacter illudunt: Igitur duro nodo
 durus quærendus erat cuneus. Exinde fa-
 ctum arbitror nostri ævi Medicos, misis re-
 mediis ex Vegetabili & Animalì regno petitis,
 ad minerale confugisse regnum, utpote à cau-
 sarum morbificarum vehementia minus su-
 perabile, quod aliàs fieri consuevit, quando re-
 media à materia morbifica superata subjugan-
 tur, idque vel propter eorundem nativam de-
 bilitatem vel cum corporibus nostris inter-

cedentem convenientiam. Cum primis vero ex classe metallica facultas domandi morbos ferro concessa videtur, quatenus cuicumque cacochymia & cachexia speciei, unde omnes morbi, malignis solummodo contagiosis & archealibus exceptis, exsurgunt, egregiam navat operam, remedia præbens revera polychresta. Quod ego altius mecum pensitans de medicamentorum martialium ad morbos quam plurimos feliciter, quantum quidem homini concessum est, tollendos in præsentiarum studiorum meorum vela collecturus speciminis inauguralis loco agere constitui. Ut vero in hoc negotio in-offenso, quod dicitur, progrediar pede, Divinum Numen supplex oro, ut hisce conatibus meis largissima gratia sua adesse velit clementissime, quo impetrato Lectorem Benevolum pariter facilem mihi futurum nullus dubito.

Thef. I.

Martialia sive à notissimo isto gentium Idolo, rerum bellicarum præfide, Marte, sive à finitimo Soli Planeta idem nomen gerente, deduxeris, perinde est, modo annotetur Martem & Marè unam eandemque originem & ra-

& radicem nempe græcum vocabulum *ῥῆμα* & *ῥῆμα* à quo *ῥῆμα* virtus dicta est, agnoscere; dubio procul quod Martialia in sanitate restauranda mascule agunt, & horum quodlibet in debellandis morbis virum se præstare observatur. Quod si quis præterea convenientiam Martis metallici cum Marte cœlesti hic urgere velit, à qualitatibus & effectus paritate comparatione desumpta, nec ille me omnino alienum à tuâ sententia habebit, si modo id mihi concedat, quod simile non sit idem, & quod omne simile claudicet. Quemadmodum enim Mars cœlestis est calidissimum sidus, quia Soli summè calido & sicco, proximior, pari modo & Mars metallicus caliditas & siccitate excellit juxta Exc. Joh. Adolph. Wedel. *Diff. de Tinct. Martis Helleb.* Ex quo liquet hoc ipsum vocabulum de medicamentis ex ferro paratis usurpatum conceptum homonymicum involvere, quia duas substantias specie distinctas, sidus nempe & corpus minerale denotat, cum magis proprie ejusmodi medicamenta ex ferro parata audiant. Ferrea porro dicuntur, quia ferrum agnoscunt materiam, quod & à feriendo, & à forando, & à fero & indomabili denominationem sortitum est, ubi adhuc notasse meretur, quod Græci in suo vocabulo *σίδρως* ad stridorem respexerint, non quidem illum quem ferrum candens aquæ gelidæ immissum edere solet, juxta illud Lucretii:

Ut calidis candens ferrum fornacibus olim

Stridit, ubi in gelidum prope demersimus imbrem.

qua ratione & candela ardens & reliqua metalla igni-

A 3

ta

ra eandem denominationem sortiri deberent: Sed qualem observare licet in officinis fusoriis, wena das im hohen Ofen geschmolzene Eisen in Gänse abgestochen wird / und zu dem Ende aus der am Fuß des Ofens gemachten Oeffnung in die von Sand und Erde gemachte Form heraus fließt / id quod ex communicatione Exc. D. D. Præs. habeo.

Thef. II.

Ex quibus liquet, quod Martialia sint medicamenta quæ ferrum materiam adæquatam agnoscunt, hujus qualitates vim & efficaciam in se continent, quapropter prius nosse convenit quænam sit natura ferri, quam de medicamentorum inde paratorum virtute aliquid certi definire possimus. *Est igitur ferrum metallum ex minera sui generis fusionis intervntu excoctum, particulis Ono acidis Orcis quam plurimis, Mercurialibus paucis, Are externo & interno Ali & fixo constans, quæ substantiæ Vstri copiose inclusa in corpus durissimum & obscurissimum atque sic in schema metallicum peculiare compinguntur.*

Thef. III.

Equidem de Martialibus acturus non diffiteor hunc terminum adeo late patere, ut etiam ad reliqua medicorum Regna, Vegetabile sc. & Animale, se extendat, quatenus Clariss. Viror. consensu, quin & ipsa experientia obstetricante vegetabilia, animalia, & partes nonnullæ animantium inveniuntur qualitatibus dotibusque Martialibus præditæ, quæ similibus pollent particulis vid. Car. richt. *Herbar. Rob. Flud. Myster. Magn. curand. morb.*
unde

unde etiam pro ratione circumstantiarum ejusmodi Marti minerali optimè nunc substituuntur, nunc interpolantur: Attamen in præsentia, ea quæ ex ferro huc spectant, potissimum veniunt considerata, ita quidem ut in præscribendis formulis hæc basin, illa vero vel adjuvantia, vel dirigentia, vel vehicula appropriata constituere posse existimem.

Thef. IV.

Quod igitur definitionem ferri superius allatam concernit, metalli mentio fuit facta, ea propter quia ferrum est fosfile, quod malleo duci & Δ e liquari potest. Non quidem est substantia indeterminata, sed est minera sui generis, fusionis interventu excocta, vel clarius loquendo ex lapide minerali particulas ferreas includente Δ is fusorii ope eliquata, atque separata. Etenim in præsentia hanc meam facere nolo, utrum diversæ sint diversorum corporum metallicorum mineræ, nec ne? quin potius illam physicis & metallurgis dirimendam reliquo, velut rem à scopo meo abludentem, licet affirmativæ opinioni plura phænomena in metallifodinis occurrencentia faveant, & huc optime quadret illud: *Non fert omnia tellus.* Porro in hoc ipso metallo Θ is acidi Θ ci copia insignis datur, id quod partim exinde constat, quoniam tam prompte in rubiginem convertitur, utcunque etiam stanno obductum, soluto sc. ab humido Δ eo poros stanni obvelantis transeunte Θ le acido nativo, quod deinceps, sui sic juris factum, propriam substantiam aggreditur, corrodit & in substantiam crociformem redigit:

redigit: partim ex eo liquet, quod mediante acidi cu-
 jusdam affusione substantiam induit Θ cam, Θ lum
 nativum exacte referentem, quod vero de profapia
 acidorum esse nemo saniorum negabit, sicut id
 experiri licet, si lamellæ ferreæ cum Φ re pul-
 verisato stratificatæ Δ i cæmentatorio committantur,
 ubi acidum Φ ris cum acido Martis concurrens par-
 tes Θ cas ejusdem solvit, quæ deinde aqua calida
 elixiviata & l. a. filtrando atque inspissando tracta-
 tæ Θ m martis optimæ notæ largiuntur: partim
 inde concluditur, quod Mars cum aliis metallis,
 unico excepto Θ ro juxta Bech. *Trip. Herm. pag. 133.*
 & Basil. Val. in *Oper. Chim. p. 1. p. 197.* facile commi-
 fceri fundique renuat idque dubio procul ob præ-
 dominium acidi in Marte & commixtioni & fusioni
 obstantis juxta *Tr. Tumb. Semiram.* Et si illud verum
 est quod Agricola *Lib. I. de Ort. & Caus. subterr.* refert,
 insuperque experientia metallica in locis metallifo-
 dinas alentibus instituta confirmat, nempe substan-
 tia Θ ca in venis metallicis apparente significari ab
 ulteriori fossione desistendum esse, ne seminium
 hocce metallicum simul auferatur, atque sic venæ
 penitus sterilescant mineræque exarescant; quin &
 hoc simul notetur, omnia Φ ra mineralium ex Θ e
 acido maximam partem constare, post deflagratio-
 nem stigma acidum relincente: nemo de veritate
 hujus assenti, nisi apertis cæcutiat oculis dubitare
 poterit.

Thef. V.

Particularum Mercurialium præsentiam in no-
 stro

stro subjecto vel sola fusibilitas in Δe & ductibilitas evincere poterit, quippe quæ à solo principio Mercuriali dependent, ita quidem ut quo plus Mercurii metalla sunt adepta, eo etiam facilius se fundi, liquari & malleo duci patiantur. Siquidem Mercurius tanquam primum cunctorum metallorum ens, & aqua ista philosoph. decantata non madefaciens manus, in cremio suo humidum radicale occultat, à quo reliqua principia constitutiva essentialia conglutinantur, atque in metallicum schema abeunt, quemadmodum à particulis terrestreo-lapideis postmodum involvuntur, ut sub forma cujusdam corporis mineralis prodeant, unde etiam ratio patet, qui fiat, quod ex tota metallorum familia Mars & Venus difficillime omnium reliquorum in fluorem redigantur, id quod Mechanicis est notissimum, scilicet ea propter quia respectu particularum sulphurearum, salinofixarum terrestriumque, Mercurium in pauca quantitate continent. Hinc verissimè inquit Cl. Hoffm. in *Clav. Pharm. p. 323.* ferrum & Venerem majorem Sulphuris impuri copiam cum minore Mercurii parte obtinent, plumbum autem & stannum plus habent Mercurii metallici quam sulphuris. Quod idem confirmat Morhoff. *Tr. de Metall. Transm. Rolf. Dissert. Chym. h. t.* Num vero id ipsum ex odore leni è ferro semi-ignito expirante demonstrari queat, in medio relinquere, cum propria experientia adhuc deficiat, fatius puto.

Thef. VI.

Neque mihi Mercurium primum ens metallo-
B rum

rum statuenti verendum est, ne illorum animad-
 versionem incurram, qui aquam universale princi-
 pium materiale statuunt, ex quo & lapides minerales
 & salia suum traxere originem, quemadmodum fu-
 sius probat Henric. de Roch. *Tr. de Lapid.* Boyl. *Tr.*
de Gem. Sendiv. *in suis Oper. Chym.* quippe hæc ipsa
 aqua Mercuriali substantia dives est, quæ quidem in
 mineralibus & substantiis salinis sub phlegmatis for-
 ma se præbet conspiciendam, ex quo etiam admi-
 randa phlegmatis vitrioli virtus à Marc. Marc. à
 Greenland. *Tr. Philosoph. Vet. restit.* annotata, dedu-
 cenda videtur; in metallis vero perfectioribus, in
 quibus, ut elegantissime loquitur Helm: Semen &
 fructus unum idemque sunt facti, proprium schema
 retinet, Mercurium currentem ad oculum suppedi-
 tando. Et quid aliud refert regulus Martis, nisi Mer-
 curium concretum sulphure interno, à sulphure ex-
 terno combustibili liberatum quadantenus fixatum,
 id quod optime beneficio antimonii, ob convenien-
 tiam radicalem cum sulphure Martis ex mente Becch.
l. c. unum idemque sulphur ex antimonio & Marte
 cum sale armonico elicientis, instituitur, quo in
 loco etiam inquit, ferrum esse fundamentum Cupri,
 Argenti & Auri, ita quidem, ut ex limo ferri subtiliore
 producat Venus, ex eodem subtilissimo & purissi-
 mo Aurum, ex albo fixo subtili & puro Argentum,
 daher kommt von diesen letztern das bergmannische
 Sprüchwort: Es ist kein Silber so gut/ es hat einen
 eisernen Hut. Ut vero Mercurii in regulo modo di-
 cto existentia ad oculum pateat, resuscitatio ejus-
 dem

dem erit instituenda, quæ sequentem in modum felicissimè adornabitur: Rec. Reg. antimonii Martialis qui de novo cum Marte liquetur & in conum effundatur, pulverisato affunde aquam fortem & digere ad solutionem reguli destillatur p. 2. aquæ fort. à soluto, remanentiæ affundendo sal armoniac. tartar. ana acet. destillat. soluta, putrescant per 4. dies & noct. postmodum destilla ex arena per cucurbitam optime lutatam per gradus in fine ign. augendo, & in recipiente tantillum aquæ frigidæ continente Mercurius currens obtinebitur, conf. quoque processus Beguin: *Zyrocin. Chym. Lib. II. cap. 13.*

Thef. VII.

Sulphur ex - & internum idque volatile & fixum in ferro testatur ferri tenacitas à sulphure viscoso sive Bech. substantia limosa dependens, quando candefactum malleo parere observatur, nec non color ex bruno rubicundus & in ochra ejusdem sive substantia crociformi, & in Tincturis Martialibus conspicuus, qui utique secundum principia Philosophico-Chymica particulis sulphureis acceptus ferendus, ut & calor intensus cum effervescentia insigni post spirituum acidorum vehementiorum affusionem limaturæ ejus observabilis, denique odor ille fœtens adinstar allii post martem oleo sulphuris irroratum nares feriens, qui pariter sulphuris existentiam evincit; taceo ructus nidorosos medicamentorum Martialium crudiorum assumptionem insequentes. Hoc vero sulphur quamdiu evaporabile & inflammabile existit, id quod eleganter in scoriis
 B 2 regulinis

regulinis ex portione Martis terrea & sulphure externo combustibili, Bech. etiam *l. c.* afferente, constantibus, aqu. reg. solutis cernere licet, ubi substantia sulphuri vivo analoga inflammabilis aquæ supernataræ compertum est, exteriora tenet & sæpenumero impurum satis esse solet, nec nisi aut ignis reverberii aut menstrui cujusdam salini ope cicuratum atque aliquo modo fixatum fuerit, ad usus medicos internos minime accommodatum, priori modo crocus puniceus elegans in affectibus Uterinis, Hypochondriaco malo, Scorbuto, Ictero & Cachexia haud spernendarum virium acquiritur; posteriori Tincturæ polychrestæ obtinentur. Verum hoc sulphur dignitate longissimè superat alterum internum magisque fixum vocatum velut ad naturam Solis propius accedens, & virtute, quadam metallis ignobilioribus solarem characterem conciliandi celebre, id, quod Eremit. Suburb. in *Aphor. Chym. 115. & seq. 118.* & supra laudatus Bech. testantur, posteriore referente, quod crocum Martis habuerit, qui cum Luna cupellationem & quartalitem Saturni & aquam fort. sustinuerit, & tamen, exploratione cum magnetè facta, verum ac purissimum ferrum permanserit. Imo ab hoc sulphure Martis interno est notabilis ille Solem inter & Martem magnetismus, quo Sol appetit ferrum tanquam hospitium delectabile, ut in minera Martis Solari, & in illis venis Martialibus orientem Solem versus extensis observatur, quem etiam confirmat phænomenon à Barthol. in *Phys. Spec. P. IV. c. 2.* allegatum, se nempe vidisse Florentiæ inter



ter pretiosa Hetruriæ Ducis clavem ferreum continuum cuius pars dimidia Aurum, altera vero ferum fuit, quo experimento convincitur Tachen. *in Clav. Hippoc. Cap. 8.* statuens, Aurum ferro conglutinari non posse priusquam Veneream naturam induat.

Thef. XIII.

Atque hoc sulphur internum in penitiori chalybis recessu latet absconditum & non nisi irradiative operatur, antequam emoriatur, & iterum reviviscat, ubi effectibus plane singularibus nobilitatur. Ea vero mortificatio per amicabile antimonium mediante sulphuris externi deflagratione, tentanda & resuscitatio per aquilam meteorisatam instituenda, quo facto ex effectu cognoscitur, dum regulus antimoni Martialis stellatus purissimus utcunque splendide albicans purpuream largitur Tincturam Ambram redolentem, & sulphur vitriol. anod. præstantissimum archei furentis sedativum & antispasmodicum subministrat, cuius mentionem quoque facit Zvvælf. *Mantis. Spag. P. I. cap. 3.* Quod si ad hunc subtilitatis & fixitatis gradum prædictum sulphur adspiraverit, ab ejus usu blando calore corpora ægrotantium demulcentur, pulsus invalescit, sanguinis color mirum quantum exaltatur, quemadmodum Venæ-Sectione instituta aliquoties observatum fuit.

Thef. IX.

Supereff, ut etiam mentio fiat substantiæ terrestris tam impurioris externæ consistentiam huic metallo conciliantis quam purioris internæ, non-

nisi facta analysi chymica destructisque crassioribus corporis metallici repagulis in conspectum venientis: illam constituunt crementa metallica terrea & lapidea, quæ facta cum malleo percussione à ferro ignito ad instar squamularum decidunt, una cum remanentia scoriarum illa, quæ post præparationem crocorum Martis velut inutilis superesse solet: hæc vero vel sub ochrea substantia, vel sub terræ albissimæ schemate se conspiciendam præbet, virtute acidum MSeæ intimius permixtum absorbendi tonumque viscerum cum primis digestionis famulantium, restaurandi, celebris. Et quidem ochra prædicta duplici manifestatur via, nunc quando spiritus vitrioli Martis optimè dephlegmatus & concentratus acidissimus cum oleo Terebinth. vero seu spiritu commiscetur, ubi in balsamum subrubeum abit, qui interventu diuturnioris coctionis cum aqua simpl. obscure flavescens coloris pulverem ad instar sulph. vitriol. anod. ad fundum vasis dimittit, aliquoties aqua calida abluendum: vel à spiritu vitriol. Martis tandem sponte sua secedit, lateribus vitri appenditur & ex parte fundum ejusdem petit: vel mediante insperione salis tartari soluti in solutionem vitriol. Martis ad fundum cadit sub forma Croci Martis adstringentis, qui cum carbonibus & Nitro liquatus facile iterum in lamellas ferreas reducit. Terram albissimam in ipso spirit. vitriol. Martis legitime parato, facta præcipitatione, ut & in Cap. mort. spiritus vitriol. Martis demonstrare licet, quod prævia elixiatione & filtratione deponit substantiam terrestrem cretaceam,

cretaceam, postquam scilicet urinæ pueri s. q. successivè fuit instillata. Ex quibus nunc constat Cromum Martis & sulphur omnino inter se differre, ille enim est tantummodo substantia terrestris Martialis subtilior, sive calx metallica à salibus adhærentibus subtilisata nunc plus nunc minus particularum sulphurearum & Mercurialium, pro variante in præparatione encheiresi, continentis.

Thef. X.

Ab eadem hacce duplici substantia terrestri ferro facultas accrescit & acidum promptissimè imbibendi, & Mercurium per sulphura, aut salia coagulatum & aliquantisper fixatum revivificandi, quemadmodum experientia docet cinnab. factitiam limaturæ Martis permixtam denuo in globulos Mercuriales fatiscere, qui ex retorta candefacta in receptaculum appositum prolabuntur, acidis nempe Mercurium discontinuantibus & retinentibus per terram Martialem absorptis destructisque, quod idem fieri solet cum Mercurio sublimato, cum aqua soluto & in cacabo ferreo ebulliente, ubi salibus istis corrosivis elutriatis, particulæ Mercuriales sui juris fiunt atque sub forma nativa Mercurii currentis scilicet sese repræsentant. Sic labores chymicos sectantes in præparatione reguli compositi ex antimonio, Auro, Venere & Luna, quam maxime cavent instrumenta, spatulas v. gr. ferrea, quoniam experientia ipsos docuit, si materia cum talibus tractetur oriri præcipationem & secessum particularum metallicarum à se invicem, unde spe sua frustrantur & loco reguli quæsi

quæfiti meras acquirunt scorias, id quod etiam in nonnullis processibus Chymico-Pharmaceuticis, v. gr. vitro antimonii hyacinthino ab instrumentis ferreis in scorias abeunte nec unquam ad debitam pelluciditatem adspirante, notasse meretur, nisi quis oleum & operam perdere velit.

Thef. XI.

Cognita nunc natura ferri principiisque idem constituentibus satis superque per superiora demonstratis, utique de virtutibus ejusdem primariis & intermediatis modoque agendi in corpus humanum præternaturaliter constitutum quoque brevibus differendum est. Quæ vero consistunt in calefaciendo, exsiccando, & adstringendo, reliquæ huic metallo passim ab autoribus assignatæ secundariarum, mediatarum & ex accidenti consequentium titulum potius merentur, quales sunt aperire, incidere, acidum temperare, abstergere, alvum & urinam movere, atque roborare; licet non omnino negari queat mediantibus variis præparationibus, vel hanc, vel illam, vel istam facultatem adventitiam facilitari posse. Hinc præclare inquit Quercet. *Cap. 7. de Marte p. 638.* Laxat & adstringit, juxta diversas præparationes ejus, aperit obstructions, & soluta glutinat, pungit & ungit, fauciat & sanat. Speciatim virtus calefaciendi à particulis sulphureis copiosis, adstringendi ab acido vitriolico particulis terrestribus immerso, exsiccandi ab abundantia terrestrarum particularum dependet, ita quidem, ut nec Martialia in forma fluida ab hisce qualitatibus veniant eximenda,

menda, licet quadantenns corrigi & mitigari queant quo leniora, tutiora & ad praxin clinicam magis accommodata eveniant. præterea Martialia pro conditione subjecti affumentis, causæ morbificæ, temporis & modi applicandi diversissimos edere solent effectus, ut ita in usurpandis chalybeatis maximâ cautione opus sit & Medicus Argum fermè agere debeat: Quippe cum adstringentibus in foro medicæ cautissime mercandum esse egregi monet Hoffm. *Diss. de Med. Alterant. & Insid.* Et Harv. *Tr. Ars Cur. expect.* Cap. III. teste, vix ullum proferre casum licet, quo uberiori fructu & emolumento iudicium & experientia magnum quid præstare videntur, quam idoneis constitutionibus hoc aptando minerale. Necandi potius id partes agere quam curandi increpant nonnulli, attamen ad electionem usus justam si collimaveris verè mirandam absolvere valebis curam, at si hallucineris, eventus deplorandus erit. Numero plures prioris generis instantiæ, quam posterioris ubique fere recensentur. Sic abstergens & diureticum evadit ferrum acido tali in humoribus obviam facto, quod ipsum ad pugnam provocandum fit habile, ex adverfo fit adstringens & validè obstipans, si acidum illud cum sale vitriolico coeat, & incementum vertatur lethales vasorum viscerumque obstructions causans, id quod Magnific. Wedel. relatio confirmat, quando vidit in cadavere, quodam virili crustam ferream rubiginosam ventriculi & intestinorum tenuium lateribus tenacissimè adhærentem glandulasque & poros transmittendo chylo inservientes

C

servientes

servientes oppilantem, quod subjectum denatum autem frequentius tum viveret Martialia solida usurpaverat. Pariter interdum alvum reddunt tardiores monente Sidenham. de *Pass. Hyster.*, sanguinem movent & sistunt, uti ex balneis aqua ferraria factis, & acidulis naturalibus constat, ideoque notatu dignus est locus Hoffm. ad *Poter. Obs. Cent. II. cap. 25.* Quando inquit: Martialia, ubi viscera, vel sanguine limoso, vel amurca mucosa tumida ac infarcta sunt, mirifice profunt, non tam resolvendo ac incidendo, uti quorundam est sententia, sed magis fibras motrices nimis laxas roborando & adstringendo. Hac adstrictione procuratur motus & impulsus humorum, dum fibræ motrices & vasa excretoria elasticitatem & renisum majorem acquirunt, quare observamus, post data Martialia pulsum statim fieri celeriores, in quibusdam etiam subjectis alvum sollicitant, acsi purgans esset propinatum, in aliis sudorem vel urinæ fluxum provocant, in quibusdam etiam alvum constrictiorem reddunt.

Thef. XII.

Cum igitur in antecedentibus dictum sit medicamenta Martialia pro varietate præparationis variam quoque sortiri efficaciam: Ideoque quoad usum practicum, & ad demonstrandum, quod sit in arte, quicquid quærunt medentes, addo, quicquid expectant ægrotantes, nempe illi qui in metalla suas spes posuere, præparationes eorundem celebriores in præsentia apposuisse juyabit. Et quidem initio negandum non est olim apud medicinæ nostræ Parentes

rentes ferrum crudum in substantia exhibitum in usu fuisse, quia ob seculi istius genium operationes chymicæ nostro ævo notæ latebant, scilicet nunc limatum, nunc ignitum & in aqua, lacte, sero, vino exhaustum, id quod Diosc. *Lib. V. de Mater. Med. Cap. LXXVI.* Æginett. *Lib. VII. Cap. III.* Corn. Cels. *de Re Med. Lib. IV. Cap. IX.* Plater. *Obs. Lib. III. p. 572.* Zvvelf. *Mantis. Spag. P. I. Cap. III.* de Galeno ipso limatura Martis curante testantur. Quorum vestigia ex recentioribus præmit Sidenh. cum universa schola anglicana, quando limat. Martis alcoholifatam extr. absinth. involvunt, atque sic integram curam Martialem, uti vocatur, absolvunt. Atque hæc methodus utpote Magnific. quoque Wedel. Præceptore æternè devenerando probata rejicienda non est, modo alcoholisatio illa s. a. instituat, & ratio subjecti causæque morbificæ habeatur; Perplacet mihi alcoholisandi modus Excell. D. D. Præsidi familiaris, quando limat: Martis magnesiata in fundit, vel rori magali destillato, vel aquæ stomachiali cuidam & tempore hyemali reponendo supra fornacem, verò ad radios solares quadrantis anni spatio limaturam subtilissimam crociformem superficiel aquæ innatantem colligit, quod tamdiu continuatur, donec omnis substantia martis in ejusmodi substantiam cremoraceam abierit, ratione hac addita, quod à substantia nitrovolatili plus minus in ejusmodi fluidis hospitante ejusmodi attritus fiat. *Thef. XIII.*

Ex præparatis tam officinalibus usitatis, quam inter secreta practica à nonnullis relatis & quidem in

forma solida eminent croci, qui in adstringentes & aperientes, respectu ad præparationem habito, distinguuntur, videlicet cum prædicti croci nihil aliud sint nisi particularum metallicarum arrosiones tantillum salis vitriolici continentes, quæ vel acido fixiori, volatiliori vel sale alcalico parantur; ratio suadet cum acido fixo paratas magis adstringere & exsiccare, cum volatili magis aperire & attenuare, cum particulis salinis saponariis magis incidere, abstergere & laxare, ubi & hoc notasse operæ pretium erit, crocum Martis adstringentem sub cælo humido diutius asservatum vim aperitivam, & aperientem reverberii igne tractatum vim adstringentem nancisci. Et quoniam chartæ angustia & instituti mei ratio non permittit omnes recensere parandorum crocorum modos, in præsentem tantum sufficiat meminisse ferrum cum nitro calcinatum horæ dimidiæ spatio elegantissimum colore cinnabrim nativam æmulantem crocum aperitivum largire & virtute diaphor. & anodyn. laudatissimum, de quo vid. Zvvælf. l. c. sub Tit. *Croc. Mart. cach.* Adstringentem citra multas ambages caput mortuum spiritus vitriol. Martis præbet. Crocus Martis per alcalia ita fit, si limatura Martis lixivio herbarum aperientium pluribus vicibus irroratur aëri libero exponitur, quousque in rubiginem vertatur, qui infusa purgantia hypochondriaca in operatione egregie juvare solet. Sic & croc. Martis cach. Willif. in cacochymia serosa acri & gratia & efficacia sese quam maximè commendat, cujus præparatio ita absolvitur: Videlicet

cet caput mortuum spiritus sal. armoniaci Martiali cum spiritu vini rectificato iteratis vicibus extrahitur, donec omne acidum fuerit consumptum, deinde mediante aqua calida crocus Martis in capite mortuo restitans solvitur atque extrahitur, liquor coloratus filtratur. & lenissimo calore exhalatio instituitur.

Thef. XIV.

Croco Martis inter remedia vulgata succedit vitriol. Martis quod nihil aliud est quam subtilissima terræ Martis portio ab acido in substantiam crystallinam viridescentem coagulata, cujus præparationes in vulgus sunt notissimæ, ea tamen cujus Basil. Valent. in *Schluß*. Reden mentionem facit est singularis planè & elegantissima: Nempe lamellas chalybis ignitas aliquoties in aqua frigida extinguit, ut reddantur friabiles & in minimas partes diffringi queant, his effundit aquæ font. pij. spiritus sulphur. non rectificati pj. ad eminentiam sex digitorum transversorum, sub favore caloris digestorii Martem solvit, solutum tantisper evaporat, nonnihil spiritus vini affundendo, qua ratione sal fixum cum aqua simpl. extrahit, quod aliquoties solutum, filtratum & crystallisatum redditur purissimum & substantiam albidissimam acquirit verum Martis Mercuriam in se continentem, cui vero hic labor minimè arridet, is lamellas ferri cum sulphure stratificando & calcinando vitriol. suum conficere poterit. Qua occasione sub jungere placet modum vitriola naturalia naturæ hermaphroditicæ de Marte & Cupro participantia ad simplicitatem redigendi: Nempe vitriol

de cupro participans solvatur in aqua supra ignem, in ebullientem immittatur baculus ferreus vel chalybis lamellæ, atque sic cuprum præcipitabitur ad latera baculi, vel lamellis adhærescet, quo pacto ex solutione vitrioli purissimum Martis vitriol. obtinebitur. Ex hoc vitriol. Sulphur. anodyn. mediante sublimatione paratur, videlicet vitriol. Martis ad albed. calcin. digestionis ope intime miscendo cum portione anatica salis armoniaci quæ massa sublimanda, sublimatum elixivandum, & flores crocei repetitis cohobationibus cum nova salis armoniaci portione sublimandi, qui aqua simpl. soluti & per filtrum transmissi pulverem rubeum in filtro relinquunt in morbis spasmodicis & furibundo spirituum motu satis præstata. Hoc vitriol. Martis etiam haud postremum est ingrediens spiritus Ceph. Mich., qui mediante affusione spiritus vini ab herbis cephalicis aliquoties abstracti vitriolo Martis ad albed. calc. posteaque per retortam blando igne destillatione paratur in affectibus spasmodicis iisque in sensu latiore malignis, & omnibus morbis capitis frigidis cum oleo destillat. anth. caryoph. cubeb. lavend. vel aliis mixtus egregiam opem præstat. Taceo Antimonium diaph. Mart. ad mentem Ludov. paratum, quod famam in hoc censu revera assequitur, & in Cachexiis acida & acri, atque in Hydrope cum semine lycopodii medentium foto abunde satisfacere observatur.

Thef. XV.

Inter secretiora & non ubique vulgaria referenda

da sunt sulphur, Martis internum fixum volatilifatum iterumque fixatum juxta illud fac fixum volatile & volatile fixum & specif. stomach. Pot. Prioris mentionem faciunt Helm. *Tr. de Lithiast cap. 8. S. V.* Ludov. de Comit. *Metallurg. p. 88.* & Harv. *l. c. cap. IV. & V.* Posterioris Poter. *in obs.* passim sed desideratur utrobique auctorum describentium candor, ex quo factum est ut adhuc usque diem desideretur elaboratio genuina promissis ex votis respondens, quæ videlicet doceat sulphur Martis solubile evehere super alembicum, hoc enim modo veritas dicti Harveani constaret, quod sit mirandè validum deobstruens omniumque Martialium gratissimum ac tutissimum. Equidem viam nobis trivit Polemanus *Zi. de sulphur. philos.* ex Hæmatit. c. sal armoniac. sublimato simile quippiam conficiens: Verum effectus spem conceptam haud fatiat, ideoque hoc ex mente Excell. D. D. Præsidis per institutam sulphuris Martis per antimonium extracti sub certa encheiresti digestionem circulatoriam, cujus ope alias Tincturæ alembicantur, tentandum esset Poterii specif. stomach. annotante eodem Excell. D. D. Præfide ex regul antimonii Martiato solari certa encheire si odorem violaceum spirante, legitime paratur, ex quo etiam elegantissima Tinctura mediante spiritu ceras. n. l. a. confecto extrahitur. Nec sulphur ejusmodi reclusum in foro medico solum mirandos præstat effectus, sed etiam in mechanicis, ut cunque adhuc crudius existat singularia præstat quando artifices illo mediante pretiosos lapides conficere didicerunt.

dicerunt. Sic in *Ephem. Angl.* legitur esse in Belgio quendam Opalos conficientem ex materia quæ nulum de se ostendat colorem, hunc autem acquirit, quando extremitati styli ferrei liquata massa apprehensa igni applicatur. Item quod in officina vitriaria Angliæ fractum vitri pariter Opali colore accurate tinctum in infimo furni repertum fuerit, quem colorem ex Tinctura ferri & certo ignis gradu casu contraxisse autumant. Sic etiam Carbunculus artificialis ope Croci Martis producitur ℞. Crystall. p. X. Saturn. comb. p. XXV. m. postea cum p. XX. hujus materiæ P^o Auri pulverisati & Croci Martis pi^o m. & clausa coquantur, uti coquitur materia vitri medietate olli vacua relicta postea funde pj. hujus materiæ cum pj. salis alicujus fusibilis & habebis carbunculum cujus virtutes ex hac compositione elucet, nempe Solares vel Martiales vid. Mazott. *de Min. p. m. 20r.* Nunc etiam referendus est Mars fulminans hoc modo conficiendus. ℞. Limat. Martis q. p. solv. aqua reg. & solutione salis tartari præcipita hisce tamen observatis cautelis, ut (1) punctum saturationis exacte observetur, alias spes fulminandi evanescit, (2) præcipitatio non sit nimis subitanea, siquidem ab effervescentia nimia fulminatio pariter perit. Agmen solidorum Martialium claudat Nitrum aperitivum sequenti modo elaboratum ℞. vitriol. Martis pj. nitri rosat. pij. solvantur in succo endiv. & cichor. ana q. s. succi abstrahantur & materia ad crySTALLIFANDUM reponatur, ubi crySTALLI salino - subdulces in præternaturali Hepatis

patis calore & obstructione conducibiles obtinentur.

Thef. XVI.

Ex forma fluida cumprimis huc referri merentur Tincturæ Mart. variæ, Pomata, Cydoniata, Helleb. tartarea, cum succo Acetosellæ, & quæ officinis adhuc incognita est cum succo spinæ Cervinæ parata. Quibus & illa addi poterit quæ cum infuso feminis sumach. saporem acido vitriolicum habentis mediante digestionem diuturniore emergit, atque cum Tinct. Terra Catech. & Extr. Torment. mixta singularem effectum in curanda Gonorrhœa præstitit: Ut & spiritus vitriol. Martis, præsertim regeneratus ille, cujus Zvvælf. *l. c.* mentionem facit, sed non nisi tempore vernali aut auctumnali comparandus, nec non spiritus Martis solaris ex minera Martis Hasfiaca prolectus, postquam nempe hæc terra aëri libero aliquamdiu exposita in pulverem grossum abiit per retortam igne fortissimo tractata spiritum præbet aliquoties super caput mortuum cohobandum postmodumque rectificandum, qui temperatus odoreque suavi adinstar ambriæ imbutus est, in phlogosi scorbutica aliisque effervescentiis sanguinis & humorum biliosorum apprime utilis. Præterea hic mentio fieri debet Elix. Arb. Vitæ f. Tinct. Martis volat. à Kreuchn. & Frondeck. *Tr. de Elix. Arb. Vit.* insinuata, cujus præparandi modus est sequens Rec. Lap. Hæmat. subtil. trit. ℥. f. sal. Armoniac. ℥. f. sublima ex vase terreo cui alembicus vitreus sit impositus, atque primum obtinebis spiritum

D

tum

tum sal. Armoniac. urinos. flavesc. post flores luteos & tandem gradu ignis summo adhibito coloris Aurantiarum, quibuscum simul spiritus quidam acidus ex sale communi ignis tortura prolectus destillat, alembico iterum claro apparente omne volatile transiisse judicandum est de cujus dotibus admirandis inferius, quando de usu Martialium dicitur plura legi poterunt. Denique huc spectat Mars potabilis apud Batavos acidulas frequentantes hodie usitatisimus cujus descriptio hæc est. Recip. Limat. Mart puriss. ℥. j. tartar albiss. ℥. ij. pulverisata misceantur & cum aqua s. coquantur usque ad solutionem tartari & colorem saturate nigrum aquam novam aliquoties affundendo, decoctum coletur colaturæ addendo partem tertiam spiritus Cochl. ne corrumpatur, cujus liquoris Martis Cochl. j. cum primo acidularum hauustu sumere consueverunt. De industria artificiales acidulas cum Extr. Mart. Myns. parandas & naturales, quæ nihil aliud sunt quam vitriol. Martis in aqua salina resolutum, quorum usus & operandi ratio à compluribus jam dum abunde est descripta, sic quoque reliqua Martialia, quæ inter & Lapis Lazuli militat juxta Eman. Konig. *R. M. b. t.*, quemadmodum vis ejus purgans & antihypochondriaca vitriolumque Martis ex eo parabile testantur, quippe quæ à scopo meo nunc temporis abluunt.

Thef. XVII.

Ad usum Martialium nunc devolutus, aurem quidem mihi vellicant ea quæ Clar. Hoffm. *Diff. de Medic. Infid. Th. V.* & porro annotavit, quo minus in pro.

promissis de hoc medicamento sim largior: Attamen & illud optime perpendendum, quod abusus non tollere queat usum. Igitur Martialia sive cruda sive formam solidam tenentia nec in ventriculi atonia, nec praesente cacochylia, nec in cacochymia acido austera, nec in acrimonia pure falsa, nec in affectibus partium membranaceo fibrosarum teneriorum, nec nervearum idiopathicis, speciatim vitriol. Martis in bilis inertia, aetate infantili, puerili & senili, in temperamentis, siccioribus, ut & plethora vasa infarciende, fluida vero dilutiora in cacochymia serosa minime convenire: Priori enim modo vel concretio in substantiam cemento analogam, vel gravitas insignis absque effectu a particulis ferreis pituita copia obvolutis: Posteriori particularum ferrearum praecipitatio, partiumque ubi remoratur corrosio, metuenda. Ex quo sequitur remedia Martialia primi generis in morbis pulmonum & capitis, nisi suffocationem lethalem, Paralyfin, Spasnum & Apoplexiam accelerare quis velit, cane pejus & angue vitanda, secundi autem generis cum grano salis optimaque circumspetione in recensitis circumstantiis usurpanda esse, nisi quis sulphur. genuinum illud Mart. superius commendatum possideat, Martemve suam antimonio & tartaro s. a. combinaverit, quapropter consultum puto ad hos errorum scopulos evitandos nunc praemittere martialibus idonea alterantia, nunc iisdem associare purgantia & salina solventia, nunc illa cum vehiculis specificis largioribus propinare, & convenientibus

D 2

corri-

corrigentibus, quæ resolutionem & operationem
 martis plus promovent quam retardant, ventricu-
 lo gratiora reddere, ubi non possum non commu-
 nem illum fere Practicorum errorem atro nota-
 re carbone, quando Tincturas Martis cum sale vo-
 latili oleoso Sylv. vel spiritu sal. armoniac. anif.
 roborandi ventriculi flatuumque ab hoc medi-
 camenti genere exsurgentium causa, commiscere so-
 lent, quo pacto Tincturæ præcipitatæ & adspe-
 ctu & assumptione evadunt horribiles, atque,
 extra resolvendis scopum, cui tamen sola tarta-
 rea sufficiunt, nec citra necessitatem ægrotantium
 stomachos nauseabundis vexare martialibus consul-
 tum est, ineptissimæ, quin imo periculosissimæ,
 quippe acidum primarum viarum à volatilibus ejus-
 modi urinosis nimium infractum in martem suffi-
 cienter agere nequit, unde minime evolutus ibi-
 dem delitescit obstructionsque & angustias præcor-
 diales mirum in modum auget. Sunt autem opti-
 ma Martem, citra virium nativarum jacturam, cor-
 rigentia imo & adjuvantia, aromatica-amara, tar-
 tarea, Gummiresinæ & olea destillata stomachalia,
 nempe: Cichor., Absinth. vulg. & pont. Menth.
 Arum, Gentian., Cort. Winteran, Mastiche, Rhab.
 Gumm. armoniac. ol. destillat. Cinnam. NM. fœnic.
 Tinctur. antimon. tartarifat. Liq. terr. fol. tartar. &
 ipsum polychrestum infusum herb. Théè, quæ ve-
 hricula in constitutionibus siccioribus acidulas natu-
 rales imitando, in largiori copia Martialibus addi-
 disse juvabit. Quibus observatis, Martialia in Hy-
 drope

drope juxta Poter. *Obs. Cent. I. cap. 51.* in malo Hypoch. juxt. Horst. *Lib. III. P. 1. Obs. XV.* in fluxu Hæmorrhoid. nim. & menorrhag. juxta Joel. *Op. Pract. Lib. IV. §. II* in Cachexia scorb. juxta Magnific. D. D. Wedel. in *Prax. Clin.* In Atrophia infant. à vasorum læteorum obstructione juxta Stahl. *Mens. Curios. p. 36.* in Tumore Lien. juxta Cels. *Lib. IV. Cap. 9.* in Pleuritid. juxt. *Misc. N. C. Ann. I* in obstruct. Mens. juxta D. D. Mogen. *Tr. de Therm. Embdens.* in Tumore testicul. juxta Paul. *Pharm. stercorar. p. 232.* in Tabè Phthifica juxta Marc. Marc. à Grœnland. *l. c.* in sterilitat. juxta *Etner. p. 1023.* in Chlorosi cum vini albi semine coriandri aromatizati unc. v. singulis horis matutinis juxta Bonetti *Labyrinth. Medic. extricat Lib. IX. p. 469.* quam maximè proficua deprehenduntur. Sic ego met ipse in passione hysterica mensumque obstructione diuturna hæc pilulas egregias expertus sum: Rec. Extr. Rhab. Cathol. ana scrup. sem. Gumm. armoniac. gr. vj. Resin. Gialapp. vitriol. Martis ana gr. iij. Myrrh. el. gr. vij. Croc. salvolatil. succ. ana gr. ij. M. F. cum EE. castor. pil. nro xxx. pro duab. dof. In Chlorosi exhibui hanc mixturam: Rec. EE. Martis antisc. Wedel. drachm. iij. succin. Myrrh. ana drachm. sem. anod. gr. vij. M. ita tamen ut antea primas vias à saburra humorum vitiosorum vomitorio & purgante liberaverim cui scopo inserviebat decantata illa Hypecacuanh., quæ monente Cl. Hoffm. *Diff. de Med. Secur.* corpore utcunque à morbo admodum debilitato, tutissime exhibetur atque simul fibras ventriculi facta evacuatione, ob vim aromati-

cam blandam egregie roborat. In fluxu Mens. immodico talem pulverem juvantem expertus sum: Rec. Dent. Hippopot. drachm. sem. terræ Catech. spern. Croll. ana scrup. j. Sem. Hyosc. alb. scrup. sem. Vitriol. Martis gr. ij. Laud. op. gr. j. M. f. pulv. detur cum aqua cent. nod. s. Equiseti successive. Sic vitriol. Martis aqua plantag. solutum linteisque tepide applicatum profundiora vulnera nyctemeri spatio consolidat, in aqua calc. vivæ resolutum tantillo Camph. & Croco addito in Gonorrhœa cum inflammatione mentulæ egregie prodest. Et quia superius Elix. Arb. Vitæ mentio facta fuit, ideo ejusdem vires hic recensendæ restant. Nempe spiritus urinos. obstructioni Mensium, Passioni hyst. Affectib. sopor. sub. dosi gtij., quia acerrimus est, opitulatur: Flores mali aurantiæ colorem referentes sunt incidentes, resolventes, diaphoretici, & purgantibus additi tormina præcavent à ʒ^{ss}. ad ʒj. dati, quodsi vero his floribus spiritus vini rectificatissimus ad ʒ. digitorum eminentiam affundatur mediante aliquot septimanarum digestionem Tinctura coloris aurei excellentissima obtinetur, quæ eximium remedium deoppilativum, in obstructionibus Lienis, Hepatis Pancreatis Uteri, Renum, Hydrope Ictero, febrib. intermitt. & speciatim in Quartana, Cephalalg. Palp. cord. sub ʒo. guttarum dosi in vehiculo appropriato constituit. Caput mortuum aëri libero expositum in liquorem stipticum fatiscit cujus remanentia igne reverberii tractata crocum Martis adstringentem pulcherrimum aliquoties cum aqua Ros. ab-

abluendum largitur. Generatim Martialia solida ubi adstringendum & exsiccandum, fluida cum menstruo acido volatili parata minusque concentrata ubi aperiendum & lubricandum, constitutionis viscerum scirrhusæ aut serophulosæ ratione semper habitata, ubi cum Martialibus cautius mercandum, magis indicantur. Atque hæc in præsentia de Martialium usu medico exposuisse sufficiant. Faxit D. T. O. M. ut cuncta in sui Divini Numinis Gloriam, plurimorum ægrotantium solatium artemque medicam tractantium utilitatem cedant.

F I N I S.



HAtenus *Europæ variis grassatus in oris*
Mars ferus ad plures Regiones arma videtur
Vertere, mille trahens secum mala, mille pericla,
Infallis que suis aris infestus & haris:
Nulla salus Marti huic: alium sibi querit amatque
Noster SEYFFERDUS, cujus præstantia tanta est,
Quæ referare potest hepar tumidumque lienem,
Et desperatis cum laude occurrere morbis:
Hoc cedrò dignò sibi Marte parabit honores,
Quos conferre suis Phæbus consuevit alumnis:
Ut benè cedat opus, precor, & facunda sequatur
Praxis, & ad votum multa incrementa bonorum.

auspiced.

D. GEORG. CHRISTOPH. PETRI AB Zartensfels/
 Sacri Pal. Cæs. Comes, Consiliarius & Archiat. Ele-
 ctoral. Mog. Consul Primarius & Physicus Erfur-
 tensis, Univerſitatis & Fac. Med. Senior, hujusque
 p.t. DECANUS P, P, & P. L. C.

Horrida



Horrida mors Martem quondam protelat , in-
ermes
Ceum miles pueros arma cruenta gerens.
Mars contra mortem confundit sapius , æger
Surgit , ab expulsa tabe tropæa ferens.
Qui fieri hæc possint vulgo quæ mira videntur ,
Insignis medicâ Pieris arte docet.
Hæc dum defendis , mortem morbosque malignos
Mars tuus , ut vincat mente favente precor!

*Quo voto egregios Nobiliss. Domini Doctorandi
in Arte Medica profectus prosequitur,
ipsique ad ulteriora tendenti
applaudit.*

P R Æ S E S.

Non omnes morbi pelluntur Marte , sed arte,
Quod nostræ Medicæ te docuere schola.
Ut valeas varios ex corpore pellere morbos,
Impendas vires Martis , & artis opes.

Ita Clarissimo Domino Doctorando
gratulatur & apprecatur omnia
fausta

Joannes Fridericus de Pré,
Phil. & Med. Doctör , Professor
& Assessor Ordinarius.




00 A 6326 (1)

VD 18

ULB Halle 3
004 103 416







32.

PARADOXON MEDICUM

QVOD
SIT IN MARTE QVICQVID
QVÆRUNT MEDENTES,

AUXILIANTE NUMINE DIVINO,
AMPLISSIMO MEDICORUM ORDINE
IN HAC PERANTIQUA HIERANA GRATIOSE
INDULGENTE,
SPECIMINIS INAUGURALIS LOCO,
SUB PRÆSIDIO

DN. D. JOHANNIS ANDREÆ
FISCHERI,

FACULTATIS MED. ASSESS. PRIMARIJ, PATHOLOG. ET PRÆXEOS
PROFESS. PUBL. ORDINAR. NEC NON MEDICI PROVINCIALIS
DUCAL. ISENACENS.

PATRONI ET PROMOTORIS SUI COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTO-
RALIA LEGITIME ADIPISCENDI,

PUBLICÆ ERUDITORUM VENTILATIONI PROPOSITUM,

A

RESPONDENTE

HENRICO CHRISTOPHORO SEYFFERDO,
ARNSTAD. THUR.

DIE XVI. MARTII ANNO MDCCXVIII.

In Auditorio Majori Colleg. Maj.

HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ, Typis JOH. HENRICI GROSCHII, Acad. Typogr.